

X. Mechanicæ.

91. Vectis tertii generis dispendium potius quam compendium potentiarum largitur.
92. Axis in peritrochiô est vectis transpositus & in circulum continuatus.
93. Cuneus est superficies inclinata pro perpendiculari substituta.
94. Cochlea est cuneus continuatus & in orbem dispositus.
95. Fundamentum super quod corpus hoc mundanum, quod inhabitamus, quiescit est unicum punctum, nempe centrum.
96. Viginti pondo plumbi nudô oris halitu posse loco moveri incredibile videtur, sæpius tamen hoc factum esse vel Excell. Dn. Præsidis Musæum variorum instrumentorum Mathematicorum apparatus præfulgidum testatur.
97. Cùm machinæ mechanicæ vulgares ut operentur virium & molium inæqualitatem præsupponant, perpetuum autem mobile omnimodam requirat earum exæquationem, evidens est frustra Mechanicos de ipsius inventionem ex talibus machinis esse sollicitos.
98. Theoreticè non solum, sed practicè quoque, si res postulaverit, verum est, anniculum posse turrim, quæ hic Jenæ ad ædem S. Michaëlis occasum versus ex meris faxis parallelepipedis elegantissimè extructa est, vel digitô loco movere.
99. Gloriosa illa Archimedis Syracusani exclamatio: *Da pedem ubi figam & terram movebo*, solidis quidem nititur fundamentis mechanicis, impossibile tamen est eam in actum traducere, etiamsi locus, ubi pedem figeret, daretur, nisi & totam terram esse gravem ipsi concederetur.
100. Machinam cœlestem, quam inoffensô pede ingredi liceat etiam motam construi posse, re ipsa nunc testatur Observatorium Jenense.

XI. Opticæ.

101. Magis probabile est ipsas particulas lumen deferentes à fonte suô, Sole nempe, non digredi ad objecta contrasita, sed inter fontem & objectum illustrandum sic junctim interpositas impetum in momentô, nudô contactu, continuare.
102. Visio passio potiùs est quàm actio.